

2645

H O M I L E T I C I.

2646

ministratoris — — *descripti ac diligenter collecti*. Cum autem in *Balbini Miscell. Dec. I. L. 6. P. 2. c. 7.* ab anno 1454 — 81. tres compareant Administratores Prag. Archiepiscopatus *ὁμωνυμοι Wenceslaus de Crumlow, Wenceslaus de Krzizanow et Wenceslaus de Plana*, dubius haereo, ad quem horum pertineant, nisi, quod *Balbinus l. cit.* promittat; ostensurum se in libro *de Viris doctis Bohemiae*, primum fuisse Virum doctissimum, quam tamen fidem, ut ex *Opere* posthumo liquet, non liberavit. Sermones porro ipsi nihil ab aliis hujus aevi abluunt. *Fol. 68. p. 2. Sermo in Cena domini* incipit: *Iste dies bodiernus secundum diuersa ydyomata habet diuersa nomina; secundum bohemicum ydyoma dicitur magna quinta feria, secundum latinos dicitur Cena domini, secundum theutunicos dicitur viridis quinta feria &c. Fol. 120. p. 2. in Serm. de Corpore Christi* versus finem mentem suam de Communione aperit autor dicendo: *Layci uero sumunt nisi cum corpore et in corpore christi sanguinem eius. Propter hoc enim non datur eis sacramentum de calice, ne dum multitudo communicat, de facili aliquid de christi sanguine effundatur. Foll. 128. et 202. p. 2. habentur Sermones in Festis Patronorum Bohemiae Viti et Wenceslai. Fol. 250. occurrit haec subscriptio nigrorubra: Expliciant dicta per magistrum protzywam fisa. Finita per manus Andree dicti Cbarantza de Jempnitz. Quae quo modo cum in-*

scriptione thecae superius adlata concilianda sit, ignoro. Nisi quis dicat partem Sermonum ad Wenceslaum; partem vero ad Protzywam pertinere, quem Parochum Pragensem ad S. Clementem testimonium contra Hussum in Conc. Constant. 5. Jun. 1415. tulisse inuenio. Inter lineas porro Subscriptionis insertum est nomen possessoris hujus Codicis: Rossa Watzlaw Chrudimsky cum nota annorum 1516 et 1532; cuius Sacerdotis Stationes in cura animarum ab anno 1516. usque ad annum 1560. fol. 252. p. 2. adnotatae sunt; ubi se Wenceslaum Rosn. Presoroviensem de Holajfow adpellat, additque ad an. 1560. Et infelix hoc in anno fui, quia furtim mihi surripuerunt tempore veris in parochia (Vnhoff) ad mille Sexagenas. Ceterum post Sermones descripta sunt in Codice a fol. 256. complura Evangelia in Ecclesiis per annum legi solita:

DCXCIII.

Codex chartaceus lat. germ. ¹⁷⁰
Sec. XV. Folior. 236. f. maximam partem per duas columnas currente calamo scriptus continet I. Sermones XXXIII. in diuersa Evangelia Dominicis legi solita, quorum primus *Dominica in Albis* incipit: *Cum esset sero die illa una sabbatorum. Sic scribitur Job. XX. et legitur per Ecclesiam in ewangelio bodierno. Quia dominica proxima que est caput omnium dominicarum &c. Ultimus in Epist. Pauli ad. Rom sic: Hora est iam nos de sompno*

2647

CODICES

2648

sompno surgere Ro. XIII. Nota triplex causa exprimitur in scriptura quare vigilare &c. Nullius momenti sunt, neque Autorem produnt; ad Germaniam tamen pertinere suadent immixta quaedam vernacula, puta in Serm. ult. die nuczperikeyt des getrewen vnd des guten dinst, die swochbayt des erdischen wesen &c.

II. fol. 88. sequuntur absque Autoris nomine *Narrationes ex libris historicis V. T. sumtae lingua germanica, quae sic exorduntur: Mit got sulle wir dicz buches beginnen, vnd mit got sol ez sich enden. Vnd wir sullen dicz buche bewaren mit der alten e (V. T.) vnd mit der newen e (N. T.) daz tun wir derombe daz ez die valschen leute, vnd die ungetrewen leute dest minner gevelschen vnd verkeren mügen &c. Delabitur mox Compiler ad tres Patriarchas Abraham, Isaac et Jacob, fabulaturque ab his derivari tres Patriarchatus Cplitanum, Antiochenum, et tertium in India, in dem lande, do sant Tomas inne was, der got in seine wunden graiff. Post Historiam Judith sic concludit: Hiemit sulle wir disem buche ein ende geben vnd dicz buch beizzet der kunige buch &c. Sed nondum manum de tabula; subnequit enim prolixam apostrophem ad Deum, et dissertationem de utraque Potestate, ubi inter alia ridicule: Daz wertlich swert des gerichtes daz libet der pabst dem keyser daz geistlich ist dem pabst gesetzet. daz er damit richte. Dem pabst ist gesezset zu verschei-*

denlicher zeit ze richten auf einem blancken pferde, vnd der keyser sal dem pabst den stegereif balten. daz sich der satel icht enwinde &c. Convenisse in haec Silvestrum Pont. et Constantinum Imp. &c.

III. fol. 127. Sermo minio inscriptus *De S. Trinitate* in illud: *Nisi quis renatus fuerit &c. Job. 3. Nicodemus qui legitur ex ewangelio venisse ad christum nocte &c.*

IV. fol. 130. Sermo M. Stanislai in festo S. Augustini in illud: *Capite nobis vulpes parvulas &c. Cant. 2. Incipit ab encomio B. V. M. Gaude maria uirgo cunctas hereses sola interemisti &c. et dein totus in confutandas J. Hussi sententias abit. Autorem hunc Stanislauum de Znoyma Professore Pragensem habeo, qui P. I. Bohem. doctae p. 70. inuidus fidei defensor et accusator Hussii in Concilio Constantiensi audit, cujusque plura hic sequuntur.*

V. fol. 136. Orationis dominicae *Expositio* prolixia, minio inscripta: *Magistri Stanislai. Incipit: Hec est oratio non gentilitate varia fucata &c. Finit: Hec sub directione et correctione sancte sedis apostolice — ad presens sufficient.*

VI. fol. 170. rubro: *Contra articulos wyklef. Dein: Iste tractatus compilatus est per venerabilem virum pie memorie Magistrum Stanislauum contra quadraginta quinque articulos. Sequuntur ipsi Articuli prout leguntur in Act. Conc. Constant. Sess. VIII. Tum Refutatio, cujus initium est: Quia Sancta mater Ecclesia ex textibus et sentencijs*

2649

H O M I L E T I C I.

2650

tencijs *Evangelicis et apostolicis determinavit &c.* et finis: *Et secundum huius modi protestationem bec bic dicta — ad presens sufficiant.* His *Tractatibus* si tot alios suo loco ex *Bibl. Augusta* prolatos addas, mirere, Autorem in *Balbini Bob. docta* P. II. subsellium non invenisse. Si *Lupacium* in *Epbemerid.* ad 11. *Octobr.* audias, mors reducem ex *Concilio Constant.* 1414. repentina occupavit. Vide de eo *Fabricii Bibl. med. et inf. Lat.* L. 18. ubi tamen perperam Professor *Vienensis* audit, et *Pezii Dissert. Isag.* ad T. IV. *Anecd.* p. 13. ubi nescio quo fundamento *Ordini Praedicatorum* adscribitur.

VII. fol. 202. Fasciculus *Actorum in Conc. Constant.* 1°. *Decretum Concilii* de non procedendo ad electionem Pontificis sine expresso suo consensu. T. XVI. *Collect. Concilior. edit. Venet. col.* 212. 2°. *Sententia diffinitiva contra Johannem XXIII. col. ead.* 3°. *Petita et obtenta condemnatio Communionis laicalis sub utraque specie. col.* 218. 4°. *Condemnatio Doctrinae Wicleffi. col.* 119. 5°. *Sententia contra Johannem Hufs. col.* 246. 6°. *Abjuratio Hieronymi de Praga. col.* 292. Sed in *Codice* praecedit illius *Adlocutio*, ut apud *Herm. von der Hardt* T. IV. P. 8. col. 501. Adhaerent his *Actis* *Collectanea* pro *Sermone in Dedicatione Ecclesiae.*

VIII. fol. 214. *Incipiunt Statuta Synodalia Reuerendissimi in christo patris et domini domini Denis Codd. Theol. V. I. P. III.*

Wenceslai patriarche Antibioce- ni perpetui Comendatarij Ecclesie Olom. Haec rubro. Dein initium sic: *Dei et apostolice sedis gratia Patriarcha antibioce- nus Comendatarius perpetuus Ecclesie et episcopatus olomucensis Wenceslaus honorabilibus et discretis viris et decanis prepositis Archidiaconis &c. Salutem in domino qui est omnium vera sulus. Nosque super solum pastoralis preeminencie ipsius ecclesie Olom. licet immeritos sua tamen ac ipsius sedis Apostolice dignatione locauit. Idcirco ex iniuncti nobis officii debito in huius nouitatis primordio subditorum utilitati prouidere uolentes &c.* Sequuntur *Statuta* numero XLIII. inter quae sexto instituitur festum S. Longini martyris, *cujus*, ut dicitur, *reliquias ad ecclesiam nostram attulimus*, et quidem *quinta decimaydus. Marcij* cum 40. dierum indulgentia. Ceterum in ipsis *Statutis* frequenter *Wenceslaus* ad *Statuta Synodalia Arnesti I. Archiep. Pragensis* adpellat, quae inter primos in *Bohemia* libros impressos lucem videre in *Nova Plzna de impressione noua* 1476. 4. quemadmodum *Cunzo* sive *Conradus de Zwola Ep. Olomuc.* in *Constitutionib.* anni 1431. se ad nostras praesentes refert, ut videre est in *Arf. Theod. Fasseau Collect. Synod. et Statut. Dioec. Olom.* p. 45. et ex ea in *Joh. Wratisl. Monse Infulis doctis Morav.* p. 63. Celebrata porro est *Synodus* nostra, ut ad calcem legitur: *Anno domini M°.CCCC. duodecimo die prima mens. Septembr.*

K

2651

CODICES

2652

tembr. In die sancti Egidij in Opido nostro *Wissaw*, testaturque studium promovendae Religionis et morum disciplinae in *Wenceslao* nostro *Kralikio*, cui paullum iniquior fuisse videtur *Augustinus Käsenbrot* dictus *Olomucensis* s. *Moravus* in *Cat. Epp. Olomuc.* qui et in eo lapsus est, quod vitam illius ad an. usque 1426. protulerit, ut bene observat *Cl. Monse suprac.* ad p. 56. jam enim in Decreto *Sess. XXV. Concil. Constant.* 14. Dec. 1416. dato, quo *Johanni Ep. Litomisslensi* Commedia Ecclesiae *Olomucensis* defertur, *Wenceslaus* defunctus dicitur.

IX. fol. 223. adjecti sunt *Sermones* Anonymi de *Corpore Christi*, de *Angelis*, de *S. Andrea*, *Nicolao*, *Lucia*, et *Dominica infra Ascensionem*, qui fortassis et ipsi ad *M. Stanislaum de Znoyma* pertinent.

DCXCIV.

239 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 214. f. per duas columnas scriptus continet: I. *Sermones* breves in omnium totius anni *Dominicarum Epistolas* et *Evangelia*. Autorem ignoro. *Sermo* I. incipit: *Veni domine ihesu. Apok. ult. Licet circa solas dominicales epistolas* (et evangelia) *velim hic negociari, ut ex hoc ad compillandum sermones de maioribus festiuitatibus et de sanctis reddar exercitior, tamen quia me omnium aliorum ultimum et infimum estimo, vix de ultimis loqui*

debet. Ideo ultimum verbum de tota biblia in principio huius opusculi assumo &c. Ultimi *Sermonis* terminus: *Sanctum et terribile nomen eius. Et sic liber iste est finitus, de quo sit altissimus in secula seculorum benedictus et pia mater eius. Deo gratias in eternum.* 1454.

II. fol. 143. absque Titulo ullo: *Sermones Dominicales* per totum annum, et quidem, ut ad calcem notatur: *Antonij Parmensis*. Initium *Sermonis* primi: *Cum appropinquasset Ihesus Ierosolimam &c. Matth. 21.* Nota quod deus promisit olim *abrabe* et postea *dauid*, quod filius eius carnem sumeret de progenie ipsorum &c. Citantur *Sermones* hi a *Tribemio* n. 747. quinimo et *Codex* noster praefens ab *Oudino* T. III. col. 2239. ex *Lambecii* scilicet L. II. p. 775. Sed utinam illi librarius Autoris conditionem adiecisset; video enim *Bibliographos* in diversum abire, dum alii duce *Tribemio* cit. *Antonium Camaldulensis* ordinis generalem faciunt, alii ordini *Praedicatorum* adscribunt autoritatem *Codicum Mss.* cum *Quetifo* in *Scriptt.* hujus Ord. T. I. p. 530. secuti. In quorum partes me vehementer inclinari sentio, cum, quod omnia, quae de *Antonio Camaldulensi* referunt *Oudinus* cit. et *Magnoald. Ziegelbauer* in *Centifol. Camald.* p. 10. multum fluctuant et incerta sunt, tum, quod *Sermones* nostri nihil ejus eruditionis et eloquentiae spirant, quam hi in *Antonio* suo *Camaldulensi* commendant, quem fortassis insuper cum *Ambrosio* Ca-